



V 00th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. nr. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.



2e

DISPUTATIONUM THEOLOGICI-
CARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
ARTICULIS,
V.

De
PECCATO IN GENERE,
Ejusq; speciebus,
Quam

*In Enclÿta ac celeberrima Academia VVittebergensi
Spiritu Sancto favente,*

SUB PRÆSIDIO

VVOLFGANGI FRANZII,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profels.
in illustri VVittebergâ publici

Collegis examinandam proponit

M. CHRISTOPHORUS SENFIUS
Hannoverâ Saxo.

In Templo arcis

Ad diem 6. Novemb. horis consvetis.

VVITTEBERGAE

Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.



*Amplissimis & Prudentissimis
Viris,*

**Dn. CONSULIBUS &
SENATORIBUS REIPUBLICÆ
Hannoveranæ Patriæ.**

*Dn. Fautoribus ac Promotoribus suis
summâ ac debitâ observantiâ
colendis,*

Hanc disputationem
officiosè inscribit &
offert.

*M. Christophorus Sensus
Hannoverâ Saxo.*

DE PECCATO IN GENERE, Ejusq; speciebus.

Thesis I.

Proximis disputationis superioribus *Continuatio.*
DEUM in operibus externis videlicet
creatione & Prædestinatione vidimus:
conspiciendos hac vice producemus
homines cum suis operibus, quæ nihil
aliud sunt quàm peccata, ac altius illos
perpendemus, quomodo à creatore suo defecerunt,
ac ex filijs Dei, filij diaboli facti sint; ex immortalibus,
mortales; ex intelligentibus, nihil intelligentes; ex
spiritualibus, carnales, ex dominis, servi.

II. De hac materia admodum utili ac necessaria,
quæ hominem ad sui agnitionem deducit, cum in præ-
senti nobis agendum sit, tribus sequentibus generali-
bus capitibus eam tractabimus: Et quidem 1. Veram
ac orthodoxam Ecclesiarum nostrarum, Scripturæq;
consentaneam doctrinam de peccato proponemus.
2: Errantium sententias cum Scriptura pugnantes re-
citabimus. 3. Nonnullas quæstiones controversas
tractabimus.

III. Primi capituli tractatio vicissim triplex erit
instituenda: quarum prior aget de peccati natura ac
essentia generali, quæ consistit tum in definitione,
tum distributione. Posterior de singulis ejus specie-
bus: Tertia de adjunctis concomitantibus peccatum
videlicet poenis.

A 2

IV. Quam-

Peccati gene-
ralis definitio.

I V. Quamvis non desint, qui generatim peccatum definiri posse negant: nos tamen vestigijs Scripturæ insistentes, I. ex *Ep Iohan. c. 3. v. 4.* hanc ponimus: *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*: Quam August. sic vertit: Peccatum est transgressio legis.

V. Ubi peccatum in genere significat quamvis repugnantiam justitiæ divinæ, sive ea sit contra fidem ac doctrinam, sive contra vitam & bonos mores: utramq; enim repugnantiam lex prohibet, accusat & damnat.

VI. Voce autem *ἀνομίας* Johannes complectitur omnia ea, quæ peccati naturam & differentiam specificam constituunt: Nam 1. significat defectum & privationem boni cum lege congruentis, quod privativa particula notat. 2. discrepantiam à lege naturalem ac nobis congenitam, quæ etiam est *ἀνομία*. 3. transgressionem legis actualem. 4. cultus fictitios hominum, qui sunt sine lege. 5. reatum utpote transgressioni inclusum.

VII. Ex quibus jam dictis apparet, definitionem Johanniticam nullo modo vel tautologiæ vel insufficientiæ vel contradictionis accusari posse.

XIII. Non tautologiæ: quia vocabula *ἀμαρτίας* καὶ *ἀνομίας* licet ratione latitudinis conveniunt, differunt tamen maximè Emphasi & perspicuitate: Illud enim obscurius & tantum quod sit, exprimit, hoc verò non tantum quod sit, sed etiam quid sit, & sic complectitur omnia illa, quæ ad peccati naturam pertinent, uti ex præcedentibus constat.

IX. Nec insufficientiæ: quia vocabulum *ἀνομίας* totam peccati relationem, fundamentum nimirum & terminum in se continet. Lex enim DEI obligat hominem vel ad perfectam obedientiam vel ad poenam:

Ubi

Ubi inobedientia sive transgressio legis fundamentum, obligatio verò ad poenam terminum relationis peccati notat.

X. Nec contradictionis: Nam Johannes in hac definitione agit de peccato in genere. In cap. verò 16. agit de certa quadam specie videlicet infidelitate: A positione igitur unius speciei ad negationem alterius non valet consequentia.

XI. Explicata jam definitione, sequitur distributio, ^{Distributio} ubi Peccatum distribuitur in duas species, quarum una vocatur originale, altera actuale. Quamvis ab aliis aliæ adhuc constituantur species, ad has tamen duas omnes revocari possunt.

XII. Ne verò distinctio hæc figmentum Augustini videatur, fundamenta Scripturæ sunt proponenda, ex quibus est extructa, qualia sunt sequentia: Rom. 5. v. 12. & 14. Item Eph. 2. v. 3. & Eph. 5. v. 5. & 6.

XIII. Annotatis his de peccato in genere: pergemus nunc ad singulas species: & quidem ad primam videlicet peccatum originale, cujus sequentia membra sunt consideranda. 1. An sit: 2. Quid sit. 3. Quæ eius causæ ac effectus,

XIV. Etiam si primum hoc membrum ex thesi 12. satis notum esset, ulterioris tamen confirmationis gratia, peccatum originis esse, sequenti probamus syllogismo:

XV. Quo homines concipiuntur, ac ideo dicuntur ^{An sit peccatum originis?} naturâ filij iræ, & sunt obnoxij morti, opusq; habent regeneratione, morte Christi, à peccato hoc liberatione, id certè esse, necessum est. At peccato originis homines concipiuntur, Psal. 51. v. 7. Job. 14. v. 4.

A 3

16. Quo

ac ideo dicuntur naturâ filij iræ Eph. 2. v. 3, ac morti sunt obnoxij Rom. 5. v. 14. Heb. 9. v. 27; opusq; habent regeneratione Tit. 3. v. 5. Rom. 6. v. 4: ac morte Christi a peccato liberatione Rom. 5. v. 18. Ergo peccatum originis esse quemlibet affirmare iudico.

XVI. De hac re videntur aliquid percepisse Ethnici, ex rumore vicinarum Ecclesiarum, illudq; suis scriptis utcunq; inseruisse. Sic n. Plato lib. 2. de repub. Homines suâ naturâ sunt mali & induci non possunt, ut justiciam colant, sed tantum ne injuriam patiantur: Simili modo loquitur Cicero lib. 2. de repub. referente Augustino lib. 4. contra Julianum: Hominem à natura noverca in lucem edi, corpore nudo, fragili atq; infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, debili ad labores, proclivi ad libidines, in quo divinus ignis sit obrutus, & ingenium & mores.

Definitio peccati originis.

XVII. Cum igitur constet peccatum originis esse: sequitur explicandum quid sit: Definitio igitur, quæ explicat, quid sit, talis proponi potest: Peccatum originale est totius humanæ naturæ corruptio, per Adami lapsum introducta, & ex eodem in omnes posteros propagata, reos faciens iræ DEI & æternæ damnationis, nisi per Christum fiat remissio.

XVIII. Ubi definitum videlicet peccatum originis non ita dicitur ab origine mundi vel naturæ humanæ, quæ fuere antequam peccatum in mundum ac naturam humanam transijt: sed ab origine cujusq; personæ, hoc est, nativitatæ nostræ, quam ab Adamo lapsu ducimus, per parentes in nos propagatam.

De causa efficiente peccati.

XIX. Definitio ipsa cum sit causalis, in causas suas est resolvenda ac explicanda.

XX. Causarum proinde prima est Efficiens, quæ est

est vel vera vel falsa. Vera est vel externa ac persuadens, interna seu deficiens.

XXI. Causa igitur vera externa ac seducens est diabolus, qui astutia sua Evam seduxit *Gen. 3. v. 1. & seqq.* & peccati vulnera homini inflixit *Luc. 10. v. 30.* cujus invidia mors intravit in mundum *Sap. 2. v. 24.* & peccata dicuntur ipsius desideria *Iob. 8. v. 44.*

XXII. Interna causa efficiens est vel principalis vel instrumentalis: Principalis est voluntas hominis deficiens à verbo DEI, ac consentiens præstigijs diaboli *Gen. 3. v. 1. Rom. 5. v. 12. 1. Tim. 2. v. 14.*

XXIII. Modum verò seductionis à diabolo institutum eleganter Moses loco citato *Gen. 3.* describit: Ubi 1. Verbum DEI vocavit in dubium *vers. 1.* cum igitur & Eva de verbo DEI dubitabat, perrexit ac Verbum DEI planè negavit *v. 4.* cum etiam hac vice consentientem videbat Evam, progressus est, ac ad superbiam illam sollicitavit *v. 5.* Unde prava cupiditas animum Evæ occupavit, quæ paulatim ex animo ad externa progressum fecit, donec in actum deducta est, ac malum hoc primum perpetravit.

XXIV. Ex quibus jam dictis apparet, primum protoplastorum nostrorum peccatum non fuisse superbiam sed incredulitatem. Nam diabolus 1. Evam ad incredulitatem impulit, antequam ad superbiam incitavit. 2. Et Eva prius à verbo deflexit, quàm ad superbiam est sollicitata. 3. Impossibile est hominem posse superbire adversus Deum, quandiu fiduciam in Deum retinet. 4. Quemadmodum igitur fides est radix justitiæ, ita incredulitas radix est omnis injustitiæ.

XXV. Instrumentalis causa peccati originis est propagatio carnalis, quâ unâ cum carne peccatum, in ea tenacis-

An incredulitas sit primum peccatum.

tenacissimè hærens, in posteros traducitur: idq; probamus sequenti syllogismo.

An peccatum
propagetur?

XXVI. Aut exemplo & imitatione peccatum Adami in posteros dimanavit, aut propagatione. Non exemplo aut imitatione, id quod sequentibus probationibus: 1. Sic enim per diabolum intravisset quem imitantur *Sap. 2. v. 25.* 2. Et non per unum hominem peccatum, sed per plures transiisset in mundum, quod est contra Apostolum *Rom. 5. v. 12.* 3. Nec penetrare potuisset ad omnes, sed tantum ad eos, qui peccant ad similitudinē prævaricationis Adæ, quod vicissim contra Apostolum *Rom. 5, v. 14.* 4. Et baptismus frustra collatus esset ijs, qui peccatum imitationis non habent. Ergo propagatione, quod sequentia Scripturæ dicta probant, quæ ipsam conceptionem ac generationem tanquam mediam mali hujus causam accusant, *Psal. 51. v. 7. Job. 14. v. 4. Eph. 2. 3. Gen. 5. v. 3. Ioh. 3. v. 6.*

XXVII. Cum igitur probatum est, peccatum propagari, nõ inmerito probandum sequitur, quomodo? num secundum corpus tantum, an verò secundum animam an secundum corpus & animam simul? Quam posteriorem sententiã nos amplectimur, ac una cum anima & corpore peccatum propagari statuimus.

XXVIII. Quò verò melius ac plenius modum hunc propagationis peccati possimus explicare, prius nobis constare debet origo animæ, quæ magnam huic quæstioni lucem afferet, si priori loco explicetur. Statuimus proinde animam unã cum corpore mediante semine humano propagari, idq; probo sequenti syllogismo.

An anima me-
diant e semine
propagetur?

XXIX. Si Deus à creatione immediata septimo die quievit, ac homini vim ac potentiam hominem generandi

nerandi indidit, & postea homo hominem ad similitu-
dinem suam generavit, & Scriptura generationem
animarum hominibus disertè tribuit, ac alia senten-
tia salvis articulis fidei defendi nequit: certè propaga-
tio animarum unâ cum corpore est asserenda. At De-
us ab omni creatione immediata quievit die septimo
Gen. 2. v. 2. ac homini vim ac potentiam generandi in-
didit *Gen. 1. v. 28. Gen. 8. v. 17. & 9. v. 1.* & postea homo
hominem ad imaginem ac similitudinem suam gene-
ravit *Gen. 5. v. 3.* & Scriptura animarum generationem
disertè homini tribuit *Gen. 46. v. 26. & 49. v. 10.* ac a-
lia sententia salvis articulis fidei de peccato originis,
redemptione ac regeneratione, libero arbitrio, defen-
di nequit. Ergo propagatio animarum unâ cum corpo-
re mediante semine humano est asserenda.

XXX. Hac quæstione expeditâ ultrò patescit, quid
sit respondendum ad modum propagationis peccati
hujus, quod nimirum mediante generatione humana
quoad corpus & animam, etiam cum corpore & ani-
ma peccatum originis propagetur ac traducatur.

XXXI. Quod ipsum Scriptura mirificè probat tum *An peccatum*
collectivè tum distributivè: Collectivè quando totum *secundum u-*
hominem subjectum peccati constituit *1. Cor. 2. v. 14. & partem propa-*
Rom. 6. v. 6. Gal. 5. v. 24. Ioh. 3. v. 6. Distributivè ubi *geturâ*
rem per partes ac in specie explicat, ac tum mentem
& intellectum, tum voluntatem sive cor, tum deniq;
corpus hominis, peccati subjectum constituit: Men-
tem sive intellectum *2. Cor. 3. v. 5.* cor sive voluntatem
Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. corpus *Rom. 8. v. 6. Rom. 7. v. 18.*
Rom. 6. v. 6.

XXXII. Falsa causa est, ubi DEus tanquam causa
peccati introducitur: DEum verò nullo modo cau-
sam

B

sam

nam peccati esse posse, probo sequenti generali syllogismo.

An Deus sit
causa peccati.

XXIII. Si DEUS est causa peccati, aut respectu prædestinationis, aut prævisionis, aut creationis, aut coactionis, Sed nõ respectu prædestinationis, nec prævisionis, nec creationis, nec coactionis. Ergò nullo modo causa peccati vel dici vel nominari potest.

XXIV. Assumptionem probo per singula membra: Et quidem I. hoc modo: si Deus prædestinavit hominem ad peccatum, aut id factum decreto occulto aut aperto. Sed non occulto, 1. aliàs nobis id esset ignotum & nihil de tali decreto nobis constaret. 2. sequeretur duplicem & contrariam in Deo esse voluntatem, quarum una aliquid affirmaret, altera negaret, quod citra enormem impietatem de DEO affirmari nequit: Est enim immutabilis *Mal. 3. 3.* Omne jus puniendi transgressionem tunc illi adimeretur, si occulto decreto hominem ad peccatum destinasset. Nec aperto Scripturæ decreto hominem ad peccatum destinavit, quia Deus non vult peccatum sed odit & averfatur *Psal. 5. v. 5. Esa. 65. v. 12. Eccles. 15. v. 22. Sap. 14. v. 9. Psal. 30. v. 7. Psa. 44. v. 8. Zach. 8. v. 17.* Ergò nullo modo.

XXV. Secundum membrum videlicet prævisionem causam non esse probo: quia præscientia hoc loco sic usurpata est interna intellectus actio, res quidem extra se posita percipiens, ad extra tamen se non commovens, ut rem quandam producat: Unde Theologi hanc extruxerunt regulam: Res non pendent à Scientia, sed scientia à rebus. Non enim quia DEUS futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit, sed

sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille no-
vit futurum, quia Deus.

XXXVI. Sequitur tertium membrum probandum,
quod Deus hominem ad peccandum non creaverit,
idq; probo ex manifestis Scripturæ dictis affirmanti-
bus: Omnia Dei opera esse bona *Gen. 1. Deut. 32. v. 4.*
Psal. 32. v. 4. Psal. 110. v. 7. Sophon. 3. v. 5. Quibus addi
possunt & illa: quæ Deum bonum affirmant, ac ideo
nihil mali perpetrare posse. *Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v.*
18. 1. Ioh. 1. v. 5.

XXXVII. Quartum membrum nec Deum coëgisse ho-
minem ad peccandum probo: Si Deus hominem ad
peccandum impulit, aut id factum immediatè aut me-
diatè. Si immediatè, aut id factum mandando aut coo-
perando: Non mandando *Ier. 19. v. 5. & 23. v. 32. & 29. v.*
23. Eccl. 15. v. 12. Iac. 1. v. 13. Quibus addi possunt adhor-
tationes de peccato, quæ locum habere non poterant,
si mandaret hominibus, ut peccarent, quales sunt *Matth.*
23. v. 37. Prov. 1. v. 24. Ezech. 33. v. 11. Psal. 94. v. 8. Matth. 11.
v. 28. Non cooperando *Deut. 32. v. 4. 1. Ioh. 2. v. 16. 2. Cor.*
6. v. 14. & 15. Ier. 22. v. 28. Eccl. 15. v. 12. Si mediatè id fa-
ctum vel Diabolum ad hominem seducendum incita-
vit, vel occasionem homini ad peccandum dedit, vel
legem ideo ut homo laboretur, promulgavit. At Dia-
bolum ad hominem seducendum non incitavit, quia
1. illum maledixit *Gen. 3. v. 14. & 15.* quod hominem
ad peccandum persuasit. 2. homines monet, ne
tentationibus diaboli locum dent, sed illi resistent
Iac. 4. v. 7. 1. Pet. 5. v. 9. Nec occasionem homi-
ni ad peccandum dedit, quia DEUS ipse jubet *Esa.*
57. vers. 14. auferre offendicula de via populi sui.

B 2 Nec

Nec legem ideo, ut homo laboraretur, promulgavit, sed potius ut impediret, ne laboraretur, ac ut obedientiam erga suum benefactorem ac creatorem declararet. Ergo nullo modo peccati causa proclamari potest.

Causa materialis peccati.

XXXVIII. Explicata causa efficiente; sequitur materia, quæ est vel ex qua vel in qua. Materia ex qua peccatum originis constat, est defectus & vitiosus habitus, quorum ille dicitur privatio, hic positiva qualitas.

XXXIX. Per privationem non intelligimus nudam negationem, quæ subjectum mancum, mutilum ac deforme relinquit, sed defectum justitiæ originalis, quæ inesse debebat. Qualem verò defectum homo habet tum in mente tum voluntate ac eorde Paulus ordine recenset *Rom. 3. Item: 1. Cor. 2. v. 14. 2. Cor. 3. v. 5. Matth. 12. v. 34.*

XL. Per vitiosum habitum seu positivam qualitatem non intelligo naturæ accidens concreatum, quod substantiam per se comitatur, sed pravam inclinationem seu concupiscentiam; Per quam tamen non tantum intelligo corruptionem qualitatum corporis, sed & pravam conversionem ad carnalia tam in superioribus quam inferioribus viribus. Peccatum originis etiam voco habitum non propriissimè sed generalissimè, quia determinatio quædam est facultatum hominis.

An peccatum sit res positiva.

XLI. Peccatum verò talem positivam qualitatem esse, probo hoc syllogismo: Quodcumque describitur per vitia quæ sunt habitus animi; ac in natura firmiter hæret, cui etiam tribuuntur effecta commissionis, id est, positiva qualitas. At peccatum originis describitur per vitia quæ sunt habitus in anima *Rom. 8. v. 7. Eph. 4. v. 17.* Et est vitiositas firmiter inherens naturæ *Rom. 7. v. 17.* Huic etiam tribuuntur effecta commissionis, quia

quia non tantum vocatur immundities *Iohan. 12. v. 4.*
sed etiam iniustitia *Rom. 6. v. 13.* non tantum ignoran-
tia sed etiam vanitas mentis ac stultitia cordis *Prover.*
22. v. 15. nominatur non tantum perversio. *Eph. 4. v. 17.*
18. sed etiam extrema malitia *Ier. 17. v. 9.*

XLII. Cum igitur peccatum sit positiva qualitas,
malè concupiscentia peccatum propriè sic dictum ne-
gatur: Ne verò illud dubium alicui movere posset, ^{An concupi-}
probo illud tali syllogismo: Quicquid lege DEI prohi- ^{scientia sit pec-}
betur ac dicitur peccatum propriè sic dictum in Scri- ^{catum.}
ptura, cui etiam actualia tribuuntur peccata, cuique
testimonium perhibere coguntur infantes præmaturâ
suâ morte, & de quò etiam sancti cupiunt liberari, id
propriè ac suâ naturâ est peccatum. At concupiscen-
tia lege DEI prohibetur *Exo. 20. v. 17.* ac dicitur pec-
catum propriè sic dictum in Scriptura & quidem deci-
es quater in unico capite septimo Epistolæ ad Roma-
nos. Huic etiam tribuantur ejusmodi effecta, quæ non
nisi propriè dicto peccato competunt ut sunt pugnare
cum præcepto DEI *Rom. 7. v. 7.* venundari sub pecca-
to *v. 14.* operari malum *v. 17.* & 20. repugnare legi
mentis & captivum ducere sub lege peccati *v. 23.* Quò
pertinent etiam illa *Rom. 8. v. 7.* *Gal. 5. v. 17.* Huic
etiam infantes testimonium perhibent præmaturâ
morte sua, mors enim est stipendium peccati. *Rom. 6.*
v. ultimo ab hac etiam sancti cupiunt liberari cum
semper DEO repugnat *Psal. 32. v. 6.* *Rom. 7. v. 17.*

XLIII. Ex quibus jam prolatis sole clarius apparet, ^{An peccatum}
peccatum non substantiam esse hominis sed accidens ^{sit substantia}
quoddam inhærens in homine: Aliàs si substantia ho- ^{an verò acci-}
minis esset, sequeretur illud à DEO esse creatum, à ^{dens.}
Christo assumptum, sanguine Christi redemptum, à
B 3 Spiritu

Spiritu sancto sanctificatum, & à Christo in extremo die resuscitaturum iri. At hæc omnia sunt absurda ac impia. Ergo & illud peccatum esse ipsam hominis substantiam

XLIV. Assumptionem probo: 1. quod peccatum à DEO non sit creatum ex *Gen. 1.* ubi omnia quæ creata sunt fuere bona creata. Peccatum non est bonum, Ergo non est creatum. 2. quod non sit à Christo assumptum probat Epistola ad *Heb. c. 4. v. 5.* & *Iohan. 1. Ep. c. 1. v. 2.* 3. quod non sit à Christo redemptum itidem probat *Ioh. 1. c. 3. v. 8.* ubi inquit Christum venisse solvere opera diaboli, quæ sunt peccata. 4. quod non sit à Spiritu sancto sanctificatum probat *Epist. ad Eph. c. 5. v. 25.* abluit enim hominem à peccato originis: 5. quod Christus illud in extremo die non sit resuscitaturus inde constat, quia tunc omnia perfecte ac integrè resuscitabit: Peccatum verò est defectus. Ergo non resuscitabitur.

Subjectum peccati.

XLV. Materia in qua seu subjectum est universale vel singulare: universale sunt omnes homines ab Adamo naturaliter propagati *Rom. 5. v. 12.* *Ioh. 3. v. 5. 1.* *Cor. 15. v. 22* *Rom. 3. v. 23.*

An Maria in peccatis sit concepta?

XLVI. Ab hac generali lege male excludi Mariam Virginem probo sequenti syllogismo. Quicumq; ab Adamo per carnalem propagationem descendit, ac committit actualia peccata & fide in Christum justificatus est, ille male à peccato originali excluditur. At Maria per carnalem propagationem ab Adamo descendit, quia patrem habuit Jehojacim; peccata actualia commisit, non enim qua par erat cura custodivit Christum *Luc. 2. v. 43.* & *49.* *Iohan. 2. v. 4:* Et fide

fide in Christum justificata est, quia cum Apostolis
in preceperatione perseveravit *Actor. 1. v. 14.* ac beatitu-
dinem ex auditu verbi ejusque custodia habuit *Luc.*
II. vers. 27. 28. Ergo peccati originalis expers non
fuit.

XLVII. Subjectum verò peccati originis singula-
lare non fuit aliqua ejus pars sed totus homo anima
& corpore singulis ejus membris ac potentijs, uti ex
superioribus constat.

XLVIII. Haftenus de efficiente & materia: sequi-
tur forma & finis: Forma peccati originis est à lege *Forma peccati.*
Dei ultima ac intima deflexio: Lex enim prohibet
originalem concupiscentiam quæ est fundamen-
tum ac radix reliquorum omnium peccatorum.

XLIX. Finis & effectus sunt: 1. Actualia peccata *Effecta peccati.*
Math. 12. v. 34. & 45. Iacob. 1. v. 14. 15. 2. Reatus seu
obligatio ad poenam æternam & temporalem.

L. De reatu hoc nonnulli dubitant, num per ba- *An reatus per*
ptismum auferatur vel adhuc superstes maneat? Sed *baptismum*
dubitatione opus non est, si ritum illud Augustini *tollatur?*
effatum respiciamus: Peccatum in baptismo re-
mittitur non ut non sit, sed ut non imputetur. Qui-
bus addere placet responsionem Chemnitij distin-
guentis inter formale qualitatis ac relationis: ac
dicentis hoc in baptismo plenaria remissione tolli,
illud verò incipere quidem in baptismo mortificari
& sanari, non autem omninò tolli. Hujus respon-
sionis fundamentum petit ex *3. capit. Epist. ad Tit. v. 5.*
ubi dicitur, salvos nos fieri per lavacrum regene-
rationis ac renovationis: ubi regeneratio quidem
perficitur remissione peccatorum: renovatio verò
tantum

tantum inchoatur in hac vita, in altera autem vita perficietur. Quare Apostolus inquit *1. Cor. 4. v. 16.* novum hominem de die in diem renovari.

Definitio peccati actualis.

L I. Atque hactenus de peccato originali: sequitur altera species videlicet peccatum actuale. Est igitur actio pugnans cum lege DEI, tum in mente tum in voluntate ac corde, tum in membris externis sedem habens.

L II. Ubi per genus intelligitur omnis actio pugnans cum lege DEI sive interior sive exterior, si modo transiens sit actio, ac cum assensu deliberatione ac proposito conjuncta, ad differentiam peccati originalis, quæ est in moru nunquam transeunte.

L III. Differentiæ locum supplet tum actionis determinatio contra legem DEI, tum descriptio illa subiecti in qua peccatum hoc locum habere potest.

Distributio.

L IV. Hujus peccati actualis quamvis variæ dentur divisiones, illas hoc loco omitemus, & illam præ alijs tractandam assumemus, qua dividitur in veniale & mortale.

L V. Ne autem distinctio hæc Scholasticorum esse videatur, monstrabimus illius fundamenta ex Scriptura & quidem ex *Psal. 19. v. 13. & 14. Num. 15. v. 22. & 30. Psal. 32. v. 1. 1. Ioh. 1. v. 8. & 3. v. 6. 1. Ioh. 3. v. 8. & 9.*

Quid peccata venialia.

L VI. Peccata igitur venialia sunt lapsus ac infirmitates in renatis, quibus pij resistunt ut non regnent sive dominantur & vastent conscientiam *Rom. 6. v. 12. c. 8. v. 12.*

L VII. Ne verò hic errorem committamus ac peccatum veniale esse ex sua natura, sequentia aphorismata sunt noranda: 1. Omne peccatum in se ac sua natura esse mortale, damnabile, ac mereri æternam mortem

mortem quia committitur contra aeternam justitiam
R. m. 6. v. ult. Gal. 3. v. 10. ex Dent. 27. v. 26. Jac. 2. v. 10. E-
zech. 18. v. 4. Et tamen hac assertione non tollimus di-
scrimen peccatorum in non renatis, quasi peccatum
per se damnabile alterum altero non posset esse atrocia-
us assertente Scriptura *Matth. 11. v. 24. Luc. 11. v. 47. 48.*
2. De peccato veniali non ex lege neq; ex natura pec-
cati esse judicandum: Nam omnis transgressio con-
trahit reatum maledictionis, ac lex non requirit per-
fectionem partialem sed totalem *Matth. 22. v. 37. Dent.*
6. v. 5. Sed ex Evangelio. 3. Igitur distinctio peccati
mortalis & venialis non concernit peccatum in se &
& ratione sui actus ex lege consideratum, sed tantum
conditionem personae peccantis. Homo enim perfe-
ctam obedientiam praestare cum non potuit, Deus no-
stri misertus, misit filium suum, ut perfectionem illam
pro nobis praestaret, quam nobis imputat, si fide Chri-
stum cum suis beneficijs apprehendamus.

LIIIX. Peccata verò mortalia sunt, quae cum fide & ^{Quid peccata}
bona conscientia stare nequeunt, ea qui perpetrant, ^{mortalia?}
excidunt gratiam DEI, amittunt vitam & salutem aeter-
nam: Nominantur verò haec à Paulo *1. Cor. 6. v. 9.* opera
carnis, & *Gal. 5. v. 19.* peccata regnantia.

LIX. Haec peccata mortalia cadunt tam in renatos
quàm in non renatos. In non renatis peccatum hoc
censetur quodvis delictum, sive internum sive exter-
num, sive committendo sive omittendo factum &c.
Dent. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Ioh. 3. v. 3. & 18. v. 36. In re-
natis vocatur mortale, cum quis assentitur errori in-
fundamentis, aut lapsum aliquem graviorem contra
conscientiam committit: Sic enim amittit gratiam
& fidem, Spiritum Sanctum excutit & reum se facit

C

ira

iræ DEI & æternæ condemnationis, nisi denuo ad DE-
UM convertatur cum Davide *Psa. 51. v. 2. 2. Sam. 11. v. 4.*
15. Petro Matth. 26. 70. Thoma, Ioh 20. v. 25. Paulo 1. Corint.
9. v. 27.

LX. At peccata hæc mortalia maximè referuntur il-
la peccata, quæ committuntur in Filium DEI & Spi-
ritum Sanctum, quorum illud remittitur, hoc verò
non remittitur teste Christo *Matth. 12. v. 32.*

Definitio pec-
cati in filium
DEI.

LXI. Peccatum in Filium DEI est, quod fit contra
doctrinam ac fit ab ijs, qui doctrinam de Christo non-
dum cognitam impugnant & hostiliter blasphemant,
id quod Apostolum Paulum fecisse legitur. *1. Timoth.*
1. vers. 13: vel agnitam veritatem ex infirmitate me-
tu periculorum abnegant, ut Petrus *Matth. 26.*

Definitio pec-
cati in Spiri-
tum sanctum.

LXII. Peccatum verò in Spiritum Sanctum est
voluntaria ac destinato consilio suscepta apostasia si-
ve agnitæ veritatis Evangelicæ abnegatio vel ex toto
vel ex parte contra proprium cordis ac conscientie
testimonium, ministerium Spiritus sive media
salutis hostiliter impugnans ac contumelia affi-
ciens.

LXIII. Harum notarum in definitione recita-
tarum si una deest, peccatum in Spiritum Sanctum
dici nequit, uti multi errarunt.

LXIV. Peccatum hoc à Christo dicitur irremis-
sibile *Matth. 12. v. 32. Marc. 3. v. 28. Luc. 12. v. 10.*
Heb. 10. v. 26. Heb. 6. v. 6, non simpliciter quasi æter-
nus pater talium noluerit misereri vel quasi filius Dei
pro hoc peccato noluerit mori neque mortuus fuerit,
vel quasi illis ad poenitentiam aditus planè negatus
sit.

fit: Sed ex hypothesi: quia peccantes hoc modo à Christo, extra quem nulla salus voluntariè deficiunt. Deinde organa & media salutis, sine quibus Spiritus Sanctus conversionem non operatur, contumaciter negligunt. Tandem hoc peccatum individuum quasi comitem habet finalem cordis indurationem, ita, ut obfirmato proposito scientes, volentes veritatem agnitam horribiliter impugnare & blasphemare pergant.

LXV. Atque hac de peccato ejusque speciebus sufficiunt: Restat ultimi hujus primi capituli tractatio de pœnis, quæ sunt vel temporales vel æternæ. Temporales sunt quicquid calamitatum in hac vita nobis exhauriendum est cum ipsa morte temporali, quæ est corporis & animæ dissolutio.

LXVI. Pœnæ æternæ sunt ira DEI *Rom. 1. v. 18.* Tyrannis diaboli *Eph. 6. v. 12. 1. Pet. 5. v. 8. Apoc. 12. v. 12.* Aeterna damnatio *Esa. 66. vers. 24. Matth. 25. vers. 41.*

LXVII. Haftenus pertractavimus primum caput: *Caput 2.* sequitur jam secundum, quod varias hæreses circa hunc locum recenset.

LXVIII. Inter quas primo loco sese offerunt, qui circa peccatum originis peccant vel in defectu vel in excessu: In defectu qui peccant negant peccatum originis vel ex toto vel ex parte. Ex toto negant Pelagiani, asserentes soli Adamo lapsum nocuisse, non verò posteris, ac in posteros non propagari sed exemplo ac imitatione attrahi. A quib. nō dissident Anabaptistæ, qui etiã peccatū originis negāt. ideoq; infantes ad baptismū admittere nolunt, sed illud sublatū esse totum

C 2

à Chri-

à Christo. His applaudunt tum Pontificij tum Zvvin-
gliani afferentes, propriè peccatum non esse sed tan-
tum morbum sive naturalem defectum. His subscri-
bunt hodierni Photiniani, qui peccatum originale fa-
bulam monachorum vocant ac excogitaram ad de-
fendendam superstitionem pædobaptismi. Ex parte
negant Calviniani, qui tantum non renatos in hoc
peccato nasci affirmant. Cum quibus faciunt Judæi,
etiam non omnes in peccato natos esse sentientes, uti
constat ex c. 9. *Iohan. v. 34.* In excessu peccant tum ve-
teres manichæi contendentes peccatum esse ipsam
substantiam humanam à malo D E O creatam: tum
Flatiani dicentes originale peccatum propriè & qui-
dem nullo posito discrimine esse ipsam hominis cor-
rupti substantiam, naturam & essentiam.

LXIX. Secundo inveniuntur alij, qui omnes rerum
eventus fato adscribunt ut Stoici: vel materiæ in-
constanti, fluxæ ut veteres Peripatetici: vel malo Deo
ut manichæi: vel Deo creatori ut Libertini, Calvini-
ani, Luciferani, Marcionistæ.

LXX. Tertium locum in peccando sibi destinant
Pontificij 1. affirmantes peccatum tantum defectum
esse doni supernaturalis, non verò corruptionem inti-
mam naturæ. 2. negantes peccatum esse qualitatem
positivam. 3. peccatum propriè sic dictum esse con-
cupiscentiam. 4. Materiam in peccatis esse cōceptam
ac natam. 5. requirentes ad omne peccatum volunta-
tem. 6. in baptismo afferentes tolli non tantum rea-
tum sed etiam ipsum materiale. 7. dicentes peccata
suâ naturâ esse venialia.

LXXI. Quarto loco ponendi sunt illi, qui malè pec-
catum in Spiritum Sanctum desiniverunt, ut sunt
1. Orig-

1. Origenes, qui statuit peccatum in Spiritum sanctum esse enorme ac grave peccatum post baptismum commissum. 2. Alij inter patres asserunt peccatum hoc consistere in eo, si quis disertis verbis in Spiritum sanctum ejusque majestatem blasphemias spargit. 3. Augustinus, qui tantum per finalem impoenitentiam definit. 4. Scholastici, qui statuunt peccatum hoc esse, si quis ex certa malitia peccat. 5. Hieronymus qui dixit peccatum in Spiritum sanctum esse, si quis ante tribunal judicis respondisset, omnia quæ in Evangelio scripta sunt, non à filio DEI, sed à Beelzebub principe Dæmoniorum fuisse profecta. 6. Qui peccatum hoc per abnegationem veritatis Evangelicæ definiendam esse statuunt. 7. Qui peccatum hoc sola incredulitate definiunt. 8. Qui quælibet peccata gravioraque scelera ac flagitia in censum peccatorum in Spiritum sanctum referunt.

LXXII. Absolutis hisce duobus prioribus capitibus; restat tertium & ultimum, quod nonnullas quæstiones nondum motas ac ventilatas proponet. *Caput 3.*


LXXIII. Quæritur primò, Utrum Embryo nondum perfectè animatus habeat veram ac propriam rationem peccati? Bellarm. quidem negat, sed nos Scripturæ simpliciter credimus, quæ semen immundum, hoc est peccato infectum *Job. 14. v. 4.* & in peccatis concipi *Psal. 51. v. 7.* asserit.

LXXIV. Secundò quæritur? An infantes habeant actualia peccata? Accuratè hic distinguendum inter actionem plenè *πεγαγετικήν* & inter eam, quæ est peccati originalis propria: Quoad priorem actionem; quæ ex proposito ac destinato consilio oritur, infantes actualiter non peccant, siquidem destituuntur rationis pleno

pleno usu, quo respectu verum est quod infantes neque bonum neque malum intelligant *Deut. 10. v. 29*, quod nesciant discrimen dextræ & sinistræ *Ion. 4.* Verum quatenus hi infantes peccato originali sunt infecti, huius verò radix nunquam quiescit, sed est in perpetuo motu: Eatenus certè actualiter etiam peccare censendi sunt. Huius etiam rei indicia minimè obscura de se præbent ipsi infantes, quando iræ, fastidij, impatientiæ alijsq; id genus moribus inordinatis obnoxij esse deprehenduntur.

LXXV. Quæritur an scientia variarum linguarum sit pœna peccati? Negatur, quia est donum DEI, *1. Cor. 12. v. 10.* Sed huic assertioni repugnare videtur illud *Gen. 11.* ubi Deus pœnam superbiæ constituit confusionem linguarum, sed facilimè hæc dicta conciliari possunt. Confusio enim linguarum est pœna peccati: scientia verò linguarum est Dei donum, quod immediatè tributum est Apostolis in die Pentecostes *Act. 2. v. 4.* & alibi: Et adhuc mediante institutione præceptorum datur.

LXXVI. Sed hæc de tribus propositis capitibus hoc tempore dixisse sufficiat. Tibi, ergò ô Jesu Christe, cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem.





AD

M. CHRISTOPHORUM SENFI-
UM Virum doctissimum de Pec-
cato disputantem.



*Mnes peccamus, primâq; ab ori-
gine vitæ,*

*In genus omne nefas dedita tur-
ba sumus. (rat,*

At quot a pars nostrum secum perquirere cu-

Quam sit peccatum res gravis ante Deum?

Ipsiblandimur nobis; peccata putamus

Ludum; virtutis crimina nomen habent.

Tu nobis hæc nunc is demtum nubila, SENFI,

Detestans cathedrâ tam grave teste nefas.

Tu tanti quæ causa mali, quæ cura medēdi;

Ad Verbi normam cum ratione refers.

*Maacte, & perge, tibi magnus quæ Franzi-
us autor*

Ad Scripturæ adyta hinc monstrat inire

viam;

Perge;

*Perge; tibi edocto primas feliciter arteis,
Jam lauru propria cinxit Apollo caput:
Mox te majori Pietas maectabit honore,
Ambibitq; tuas altera ferta comas.*

Johan. Dedekind.

F I N I S.



AB: 15067

ULB Halle
003 019 209


3



36.







2e

DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI ARTICULIS,
V.
DE
PECCATO IN GENERE,
Ejusq; speciebus,
Quam
In Inclytâ ac celeberrima Academia Wittebergensi
Spiritu Sancto favente
SUB PRÆSIDIO
VVOLFGANGI FRANZII,
S. S. Theologiæ Doctoris & Profels.
in illustri VVittebergâ publici
Collegis examinandam proponit
M. CHRISTOPHORUS SENFIUS
Hannoverâ Saxo.
In Templo arcis
Ad diem 6. Novemb. horis consvetis.

VVITTEBERGAE
Excusa Typis JOH. GORMANI, Anno 1611.

